

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni.

Præuisumq; potest arte leuare malum.

Hæc ærumnosa hominum natura præmitur ingentibus miserijs
multo pluribus, quām quas astra denunciant. Non igitur quæramus
philosophiam humanam, quæ depellat omnia pericula & mala, sicut
nec mors tolli medicatione potest, imò nec morbi omnes pelli possunt.
Agnoscamus nos esse massam peccati, ac propter iram Dei singulos &
pœnas propriorum lapsuum ferre, & publicarum miseriarum societate
feriri. Et tamen cum accedit agnitus uera filij Dei, Domini nostri Iesu
Christi, experientur se præsidia uitæ maiora habere, quām si Crœsi
opes, arces, & exercitus haberent.

Nec omnino uerum est Pindari dictum, qui Phisicos ait *λαμπτεροφίας*. Non semper opitulantur artes. Imò multa sunt in multis
artibus, nondum satis patefacta. Fruendum est tamen ea doctrina,
quam Deus & conspici, & adminiculum aliquod uitæ esse uoluit.

Cum igitur hæc diuinatrix sit Physica quædam temperamentorum
& inclinationum humanarum aspectio, & causarum cœlestium colla-
tio, ex uera experientia extructa, ars est & concessa, & qua bonæ men-
tes benè uti possunt, ut medicis prædictionibus. Ideo utile est reliquias
ueterum scriptorum in hoc genere seruari. Ac mihi clarissimus uir Ioan-
nes Schonerus, quem ego penè solum hac nostra ætate artificem in hoc
genere esse, uerè confirmare possum, utilissimam operam præstittiisse ui-
detur, quod & ab alijs tradita, & à se longo usu obseruata in unum cor-
pus coegerit, & tanquam dissipatas ædificij partes bellissime extruxit, ut
tota ars sine magno negotio à studiosis perdiscri possit. Etsi enim, ut so-
let, alia præcepta alijs sunt firmiora, tamen prudentes delectum adhibe-
re poterunt. Nec sua laude ideo Schonerus priuari debet, qui insigni
hoc suo labore id egit, ne ars tota, & magna pars ueræ physices interi-
ret. Hæc igitur bonis, studiosis, amantibus philosophiæ, & uniuersæ do-
ctrinæ de motibus & effectibus cœlestibus eduntur. His legant, & se se
ad amorem omnium bonarum artium, & ad cogitationem de diuersis
causis actionum humanarum, & de tota gubernatione uitæ exuscitent,
& naturæ infirmitatem contemplantes, confugiant ad Deum æternum
patrem Domini nostri Iesu Christi, & huius mediatoris fiducia petant,
ut diuinitus regamur, & defendamur.

τίλθ.